C

EX PAVLO.

Gordylon alij Seseli appellant, urinæ & mensibus ducendis habile. Radix ipsius ex melle lincta, quæ in thorace hærent, educit.

EX PLINIO.

Combusta potu ciet menses, & pectoris excreationes, efficaciore etiamnum radice. Succus eius ternis obolis haustus renes sanat. Additur radix eius & in malagmata.

DE TITHYMALIS. CAP. CCCXIII.

NOMINA.

Lactaria herba cur nominata.

TIΘYMAΛOΣ, ἢ τιθυμάλον Græcis, Lactaria herba, & Lactuca caprina aut marina Latinis, barbaris & officinis Esula, Germanis Wolffsmilch dicitur. Lactariã autem herbam cõmuni appellatione, ob cõmune omnibus lac, uniuersum hoc genus uocauerunt. Lactucam uerò ob eandem causam, quia scilicet ex hac herba haud secus atq; ex Lactuca secta lac fluit. Caprinam, quod capræ Tithymalis uescantur.

Lactuca caprina quare uocata.

GENERA.

Septem sunt, Dioscoride & alijs ueteribus testibus, Tithymalorum genera. Primus Characias, id est, uallaris dicitur, quod uallis septisq; muniendis idoneus sit. Secundus Myrsinites, à Myrti foliorũ figura: aut à nucibus, quibus similẽ fert fructum, Caryites nominatur. Hunc fructum sunt qui Nucem uomicam, Germanis Kronåglin uocatam, esse putent. Tertius Paralius, id est, marinus, quod in maritimis nascatur, appellatur. Quartus Helioscopius, hoc est, solisequus, quia eius coma ad solis cursum circumagitur, nominat: germanicè Sonnenwendede Wolffsmilch uocari potest. Alijs nominatur groß Wolffsmilch. Quintus Cyparissias à Cupressi similitudine nuncupatur. Germanicè cypressene Wolffsmilch nominari potest. Sextus Dendroides, à ramorũ copia dicitur. Septimus Platyphyllos, id est, latifolius, à latitudine foliorũ nominatur. Germanicè breytbletterte Wolffsmilch/ alij groß Teuffelsmilch uocant. Nos ex ijs generibus tria tantum depicta damus, quod reliqua uidere nondum nobis licuerit. Proferent fortè alij longè plura.

Characias. Myrsinites. Paralius. Helioscopius. Cyparissias. Dendroides. Platyphyllos.

D

FORMA.

Nos ea tantum genera quorum picturas exhibemus, omissis alijs, describemus. Helioscopius itaque Portulacæ similia folia obtinet, tenuiora tamen atque rotundiora. Ramos autem à radice prodeuntes quatuor aut quinque mittit, dodrantales, tenues & rubentes, copioso lactis liquore plenos. Caput huic est Anetho simile, & semen ueluti in capitulis inclusum. Circumagit huius coma cum sole, unde & Helioscopij nomen accepit. Cyparissias caulem emittit dodrantalem, aut maiorem, subrubrum, ex quo germinant folia pini similitudine, teneriora tamen ac tenuiora. Et in uniuersum pino nuper natæ similis est, unde & nomen traxit. Abundat hæc etiam succo candido. Platyphyllos Verbasco similis est, longioraq; reliquis folia habet.

Helioscopius. Cyparissias. Platyphyllos.

LOCVS.

Helioscopius in ruderibus potissimum, & circa oppida nascitur. Cyparissias in campestribus frequentissimus occurrit. Platyphyllos uerò in syluis.

TEMPVS.

Semẽ Tithymalorũ autumno legitur, succus uerò incipiente pomorũ lanugine.

TEMPERAMENTVM.

Vincentem habent acrem calidamq; facultatẽ, inest uerò & amaritas. Ex quarto itaque calefacientium sunt ordine, & ualenter desiccant.

VIRES.

TITHYMALVS HELIOSCOPIVS.

LEONHART FUCHS *De Historia Stirpium Commentarii Insignes* BASEL, 1542 THE WARNOCK LIBRAR